

ARITHMETICES  
ARITHMETICES IN-  
troductio, per Adamum  
Lonicerum.

De ordine huius Methodi.

*Præfens introductio in quatuor est partes di-  
stinctæ.*

*In prima traduntur Elementa seu simplices A-  
rithmetices species, quæ sunt: Numeratio,  
Additio, Subtractio, Multiplicatio, cum  
Duplacione: Et Diuisio cum Mediatio-  
ne, quibus adiuncta est Progressio.*

*In secunda agitur de vulgaribus Regulis, in qui-  
bus Elementorum siue simplicium specierum vsus  
patet: vt sunt Regula mercatorum, Regula plu-  
rium numerorum: De Consortio: De intercape-  
dine temporis.*

*In tertia tractatur de fractionibus in vniuersum:  
vbi fidei & diligentia præceptoris relinquitur,  
vt ea quæ in initio de fractionum valore dicuntur,  
statim post simplices species tyronibus tradat:  
reliqua verò, quæ de speciebus Fractionum ha-  
bentur, post ipsas vulgares regulas, ex quibus  
utilitas eorum capitur, proponat.*

*In quarta parte Radicum extractio, velut ali-  
quid maius & pleniore exercitio indigens, po-  
nitur. Postremò nonnulla de vini emptione, &  
ambitu terræ sunt annexa.*

PARS